

finis universalis est; ex quo discernitur, an sit concedendum, quod eucharistia sit sacramentum majoris necessitatis quam baptismus. Respondetur enim, quod non simpliciter loquendo, sed baptismus est majoris necessitatis, quia simpliciter loquendo per ly eucharistia significatur hoc sacramentum in quantum particulare est, et distinctum ab aliis. Comparatio enim inter sacramenta fit secundum quod considerantur ut sacramenta particularia, et quantum ad realem susceptionem; si autem loquamur de eucharistia cum addito (nempe in quantum est finis aliorum sacramentorum) sic est majoris necessitatis quam baptismus, quia intentio finis, quæ imbibitur in mediis, magis est necessaria quam ipsa media; et incorporari nos cum Christo maxime necessarium est.

XXVII. Nec obstat, quod etiam baptismus habet pro effectu incorporare nos Christo, et facere membra ejus per regenerationem, et aperire nobis januam regni cœlorum, quod utique pertinet ad rationem finis: ergo non minus erit baptismus finis sacramentorum quam eucharistia. Neque enim istam unionem facit eucharistia nisi per gratiam, et eandem facit baptismus. Respondetur enim, quod baptismus facit istam incorporationem inchoative, dando nobis primam gratiam per modum causæ efficientis, quia per modum regenerantis; eucharistia autem dat istam unionem consummative et perfecte, non solum quia dat augmentum gratiæ, in quantum particulare sacramentum, sed quia continet ipsum Christum realiter, et unit nos ad ipsum in sua substantia realiter, quod baptismus solum facit participative; et ideo eucharistia operatur principaliter, et tamquam finis intentus istam unionem; ba-

ptismus autem tamquam medium; per quod effective incipimus vivere, et tendimus ad istam unionem Christi in se; et ideo agit in virtute eucharistiæ, sicut medium in virtute et intentione finis. Dicitur autem baptismus aperire nobis cœlum, quia remittit totam culpam et pœnam, quæ impedit introitum cœli, et sic tollendo impedimenta, ad ipsum perducit, ut docet S. Thomas quæstione LXIX, articulo VII; eucharistia autem dat nobis gloriam, in quantum ipsum Christum, qui est ultimus finis, nobis conjungit; et ideo eucharistia magis operatur per modum finis intenti, baptismus autem per modum tollentis impedimenta. Nec eo quod in quolibet sacramento datur suus particularis effectus, tollitur quod eucharistia non influat in eundemmet effectum, quia causa universalis eundemmet effectum causat, quem particularis, non diversum, nec duplicatum; nec impedit influentiam illius influentiam causæ particularis, sicut sol non impedit influentiam hominis ad generationem, neque rex influentiam ministri. Denique non est necesse quod qui suscipit aliquod sacramentum, aut facit actum charitatis, habeat expressum desiderium suscipiendi realiter eucharistiam, quia desiderium communicandi solum est votum, et desiderium eucharistiæ ut particulare sacramentum est, et respectu particularis effectus ejus, non respectu ejus, ut est finis universalis; sic enim est desiderium incorporandi nos Christo et passioni ejus ut redemptivæ, et alligatæ sacramentis principaliter et realiter in eucharistia, participative in aliis, quia ubi Christus est realiter, non potest non esse finis gratiæ, et eorum quæ dicunt ordinem ad Christum; sicut ubi est persona regis, est dignitas et potestas regia universalis.

QUÆSTIO LXXIV.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ QUANTUM

AD SPECIEM.

DISPUTATIO XXVII.

DE MATERIA REMOTA SACRAMENTI
EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS I.

Utrum ad consecrationem hujus sacramenti ita sit necessaria utraque species, quod non possit dispensari, quod in altera tantum fiat?

I. In hac quæstione agit S. Thomas de materia remota eucharistiæ, quæ est panis et vinum; et dividit illam per octo articulos. In duobus primis agit de ista materia in communi, ostendendo quod panis et vinum est materia hujus sacramenti; et secundo quod non requiritur determinata ejus quantitas ad consecrationem, dummodo super illam possint proferri verba formæ. In aliis duobus articulis, scilicet tertio et quarto tractatu specialiter de materia panis, scilicet, quod sit panis triticeus in forma usuali, et quod non refert ad validitatem sacramenti quod sit azymus vel fermentatus. In reliquis quatuor articulis agit de materia calicis, scilicet, quod sit vinum de vite, et quomodo sit illi admiscenda aqua, et quod non sit de necessitate sacramenti illam miscere; et denique quod in valde modica quantitate admiscenda sit.

I. Duo supponimus. Primum est, quod in qualibet specie, etiamsi consecratur sine altera, manet illa materia conversa in corpus Christi, et vere atque essentialiter sacramentum, licet non integrum in ratione convivii sacramentalis. Constat hoc ex ipso usu et praxi Ecclesiæ, quæ speciem panis, hoc ipso quod consecrata est, adorat, etiam antequam calix consecratur; et si contingat sacerdotem vel impedimento, vel malitia non consecrare calicem, eodem modo maneret ibi corpus Christi sub specie panis, quia semel consecratus panis non

desinit continere corpus Christi, nisi per corruptionem specierum. Et idem est de consecratione calicis, si fiat sine consecratione panis. Videatur de hoc S. Thomas infra quæst. LXXVIII, articulo VI.

II. Secundum quod supponimus est, materiam hujus sacramenti integram et perfectam esse panem et vinum, non aliquod aliud genus cibi vel potus. Quis autem panis, et quod vinum intelligatur, an solum panis de tritico, et vinum de vite, postea disquiretur. Modo solum supponimus, utrumque hoc genus alimenti et potus, esse materiam hujus sacramenti. Est certum de fide, ut constat ex definitione Concilii Florentini in decreto Armenorum, et Concilio Lateranensi ut habetur in capite Firmiter, de summa Trinitate, et in multis aliis textibus, qui habentur de consecratione, dist. II, et in Concilio Tridentino multoties supponitur sess. XIII et XXI, sumiturque ex ipsa institutione Christi Domini, prout narratur Matth. XXVI, Luc. XXII, et I ad Corinth. XI: *Quod accepit Jesus panem, et gratias agens, fregit, etc. et quod accepit calicem, postquam cœnavit, etc.* Quod vero ille calix habuerit vinum de vite, constat ex illo Marci XIV, ubi demonstrans Jesus hunc calicem inquit: *Dico vobis, quod jam non bibam de hoc genimine vitis*: ubi ly de hoc demonstrat id quod erat tunc in illo calice. Quæ auctoritates et definitiones, ac perpetua et Ecclesiæ traditio, omnes alios errores eliminant, qui ex alia materia, quam ex pane et vino dicebant confici debere eucharistiam; de quibus videri potest S. Thomas in præsentis articulo primo.

III. His suppositis, difficultas præcipua in hoc articulo est, utrum ipsa celebratio et confectio hujus sacramenti ita sit de jure divino faciendâ sub utraque specie, quod

non sit in Ecclesia potestas ad dispensandum, ut possit licite sub altera tantum fieri. Et ratio dubitandi sumitur tum, ex ratione negativa, quia non constat hoc esse de jure divino, sed de ecclesiastico tantum; tum, ex positiva, quia Ecclesia ex commissione Christi potest dispensare etiam in his, quæ sunt de jure divino, et non pertinent ad substantiam sacramenti, sed ad integritatem vel usum; tum denique, ex congruentiis, quæ ad id videntur satis efficaces.

IV. Primum medium explicatur sic: Quia non constat ubi positum sit præceptum a Christo Domino de conficiendo hoc sacramento sub utraque specie simpliciter et pro omni casu. Nam si alicubi, maxime in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, I ad Corinth. XI, illud autem quod tunc faciebat Christus erat consecratio utriusque speciei, sed hoc non sufficit: ergo. Minor probatur, nam in primis etiam Christus Dominus dixit, loquens de utraque specie: *Accipite et manducate; bibite ex eo omnes*: et tamen non continent præceptum sumendi utramque speciem: ergo neque priora verba continent præceptum conficiendi sub utraque specie. Deinde neque potest accipi hoc præceptum ex ipso facto Christi, quia sic consecravit sub utraque specie. Non enim sequitur, quod consecravit in utraque specie de necessitate; sufficit quod de integritate seu perfectione vel decentia; sicut multa ibi fecit Christus, quæ non sunt de præcepto, neque in usu; nam tunc consecravit in cœna, et de nocte; nunc autem mane fit consecratio: tunc dedit corpus suum non jejunis; modo non potest sumi nisi a jejunis: tunc non consecravit simul utramque speciem, sed panem consecravit durante cœna: *Cœnantibus illis*

accepit Jesus panem, etc. calicem vero postquam cœnavit; modo autem simul immediate unum post aliud consecratur: ergo ex facto Christi præcise nullum elicitur præceptum de consecrando sub utraque specie.

V. Imo si solum attendamus factum Christi, probabile est quod quando Christus fregit panem et dedit duobus discipulis in Emmaus, quod consecravit illum, et dedit illis corpus suum, ut affirmat Theophylactus super caput XIV Lucæ, et alii patres; et tamen tunc non legitur consecrasset calicem, quia in fractione panis cognoverunt eum, et ipse evanuit ex oculis eorum; ergo non consecravit calicem. Et sic etiam potest modo sine consecratione calicis perfici hoc sacramentum per dispensationem Ecclesiæ. Nec denique ex ipsa natura sacramenti petit sub utraque specie consecrari de necessitate, quia salvatur natura et essentia sacramenti in altera tantum specie, ut præcedenti disputatione ostensum est; et nulla indecentia vel inconvenientia apparet, quod propter aliquem honestum finem non possit seorsum consecrari. Sicut etiam omnes ordines instituunt unum sacramentum integraliter, et tamen confertur unus ordo seorsum ab alio, sicut diaconatus sine sacerdotio. Et in sacramento pœnitentiæ, satisfactio quæ est pars integralis, non imponitur morituro; ergo etiam potest omitti aliquando pars integralis hujus sacramenti, verbi gratia, species vini. Denique quod non sit de jure divino, sed solum ex consuetudine Ecclesiæ, docet S. Thomas in IV, dist. XI, quæst. II, art. I, quæstiuncula prima ad quartum.

VI. Secundum medium sic declaratur: Nam in primis Ecclesia ex commissione Christi, et virtute clavium potest dispensare in his, quæ

sunt de jure divino, sive id faciat per declarationem, sive per totalem absolutionem: sicut votum obligat de jure divino ad sui impletionem, et tamen potest pontifex in illo dispensare, non solum tollendo ipsum votum, quo sublato non currit jus divinum, quia solum obligat stante voto; sed etiam manente vinculo voti potest pontifex relaxare obligationem adimplendi illud, ut patet quando dispensat; dispensatio enim non tollit vinculum voti, sicut irritatio; sed solum exercitium: ergo dispensat pontifex in jure divino. Idem est de matrimonio rato, non consummato, in quo pontifex dispensat, et tamen vinculum et obligatio illius est de jure divino, et natura contractus, qui de se est indissolubilis. Et in ipsis sacramentis multa disponit, et immutat Ecclesia, quæ pertinent ad integritatem vel usum, aut modum ministrandi; sicut olim dabatur eucharistia laicis sub utraque specie, et modo non datur; et de jure divino est quod sacerdotes celebrantes sumant utramque speciem, et tamen quando ordinati celebrant cum episcopo non sumunt calicem. Et confirmatio de jure divino datur ab episcopis, et tamen ex dispensatione summi pontificis potest conferri a simplici sacerdote. Et in sacramento matrimonii, illi contractus qui fiebant sine præsentia parochi, erant materia sacramenti, et tamen Ecclesia post Concilium Tridentinum illos annullavit, et fecit non esse materiam sacramenti; ergo potest Ecclesia mutare ea quæ pertinent ad usum, vel integritatem sacramenti, etiamsi alias sint de jure divino.

VII. Tertium medium explicatur sic: Nam in primis potest esse urgentissima congruentia ob penuriam vini, ut sine ipso conficiatur sacramentum. Nec valet solutio S. Thomæ hic articulo primo ad se-

cundum: « Quod in terris ubi non nascitur vinum, potest aliunde asportari, » non inquam valet; tum, quia aliquæ regiones ita sunt distantes, ut in occidentali orbe, qui tempore S. Thomæ detectus non erat, quod ad illas vix potest deferri, et primis illis temporibus, quibus fuerunt inventæ, erat impossibile; tum etiam in regionibus sup-polaribus, ubi propter intensissimum frigus, licet deferatur vinum, non potest conservari nisi congelatum, quod ad celebrationem hujus sacramenti non deservit; præsertim, quia probabile est per talem congelationem amittere speciem. Secundo, est magna congruentia, si instat mors alicujus infirmi, nec facile reperitur vinum ad consecrandum; videtur enim quod propter majorem necessitatem, ne ille sine viatico decedat, congruum erit in solo pane conficere sacramentum; multo magis si parochus debeat repone-re in sacrario eucharistiam pro infirmis, et ex aliquo impedimento, vel casu non inveniatur vinum in oppido, et alias urgeat necessitas infirmorum, verbi gratia, tempore pestis.

VIII. Tertio, quia Ecclesia in die parasceves propter repræsentationem mortis Christi judicat sufficientem causam ut sumatur species panis sine consecratione calicis, et sic offertur sacrificium illo die: ergo est in potestate Ecclesiæ separare sumptionem calicis a sacrificio in aliquo casu; ergo etiam poterit celebrare consecratione unius sine alio, quia si potest separari sumptio in sacrificio, etiam et celebratio, quia non minus intrinsece pertinet ad sacrificium sumptio utriusque speciei, quam consecratio.

IX. Quarto, quia potest contingere, quod post consecrationem panis sacerdos advertat in calice esse

venenum, et quod non reperiatur aliud vinum, tunc non debet consecrare vinum venenosum, quia non potest consecrari nisi quod potest sumi; illud autem vinum sumi non potest: ergo in aliquo casu licitum est sacrificium facere sine consecratione calicis. Et idem videtur si sacerdoti aliquis minetur mortem si consecraverit calicem; tunc enim non tenetur cum tanto periculo implere illud præceptum affirmativum consecrandi utramque speciem.

X. Dicendum nihilominus est, non esse potestatem in Ecclesia ad talem dispensationem, sentioque oppositum practice esse improbabile, licet speculative loquendo, et considerando præcise in eucharistia rationem sacramenti, argumenta facta suam habeant probabilitatem, nec desint auctores qui sentiant ita posse fieri. Quidam enim existimant tantum esse de jure ecclesiastico, quod in utraque specie conficiatur; pro qua sententia citari solent Adrianus in IV, quæstione VI de eucharistia; Major ibidem dist. IX, quæstione III; et aliqui ex Summistis. Alii existimant esse quidem de jure divino consecrare sub utraque specie, posse tamen summum pontificem dispensare in illo ex commissione, sicut potest relaxare votum. Ita Gabriel super canonem, lectione LIII, dubio III, et summa angelica verbo eucharistia primo.

XI. Nostra tamen conclusio communior est inter doctores, et in praxi semper consulenda, convinciturque ad illam sequenti ratione. Ratio ergo fundamentalis hæc est, quia non oblata utraque specie panis et vini non manet verum sacrificium eucharisticum, sed Ecclesia non potest dispensare ut conficiatur eucharistia sine ratione sacrificii: ergo non potest dispensare ut

in altera tantum specie celebretur. Consequentia patet, quia si una tantum species consecratur, eucharistia fiet sine sacrificio, si ad rationem sacrificii utraque species requiritur. Major probatur; tum, quia sacrificium eucharistiæ essentialiter et per se debet esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quia hoc est sacerdotium novæ legis, in qua Christus Dominus est sacerdos secundum illum ordinem, ut probat Apostolus ad Hebræos VI, et declarat Concilium Tridentinum sess. XXII, capite I, Christum fuisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in institutione sacramenti eucharistiæ. Ordo autem illius sacrificii est in oblatione panis et vini, non alterius tantum speciei, sicut legitur Genes. XIV: *Quod Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi*; tum etiam, quia sacrificium eucharistiæ est idem, quod sacrificium crucis ex parte rei oblata, illudque repræsentat ex parte specierum, ut constat ex Concilio Tridentino citato loco, capite II. De ratione autem et essentia sacrificii crucis fuit quod sanguis realiter et cruenta separaretur a corpore Christi: ergo de ratione et essentia sacrificii sacramentalis est quod sanguis mystice et incruente separaretur a corpore, quod esse non potest nisi sub utraque specie conficiatur, quia in altera tantum potius sanguis et corpus uniuntur per concomitantiam. Ut ergo detur separatio mystica, requiritur utraque species, quatenus ex vi verborum, et ex significatione specierum ponitur in una corpus, et in alia sanguis. Minor probatur, quia de jure divino præceptum est sacerdotibus, ut eucharistiam conficerent eo modo quo Christus in illis verbis instituit: *Hoc facite in meam commemorationem*; sed per illa verba

præcepit Christus Dominus ut per modum sacrificii conficerent eucharistiam: ergo non potest jure humano confici sine ratione sacrificii. Minor probatur ex declaratione Concilii Tridentini sess. XXII, capite primo, ubi inquit: « Quod Christus Dominus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini obtulit Deo Patri, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Ecclesia catholica intellexerit, et docuit: » et canone II: « Si quis dixerit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, anathema sit. » Sed sic est, quod offerre corpus et sanguinem est sacrificium, quia est oblatio facta in honorem Dei: ergo eisdem verbis quibus Christus Dominus præcepit consecrationem eucharistiæ, ordinavit oblationem sacerdotii; ergo non potest Ecclesia dispensare ut eucharistia fiat sine oblatione sacrificii, qui non potest dispensare ut aliter fiat, quam in illis verbis continetur: *Hoc facite etc.* cum illa verba pertineant ad substantiam sacramenti et sacrificii, in qua nihil potest Ecclesia mutare, ut infra ex Concilio Tridentino dicemus.

XII. Et urgetur hoc amplius: Quia si posset Ecclesia dispensare in isto jure divino, ut fieret hoc sacramentum sine sacrificio, conficiendo illud in una tantum specie, maxime propter aliquam publicam necessitatem (verbi gratia, quia in toto uno regno non invenitur vinum) nam propter privatam necessitatem tan-